

MAGISTRI BANDINI

DE VERBO INCARNATO ET HOMINIS RESTAURATIONE

LIBER

QUI EST SENTENTIARUM TERTIUS.

Ἐπιτομή. — *Declarata Dei natura in primo libro, et mundi creatione atque hominis lapsu in secundo: deinceps Christi Jesu incarnationem, passionem ac mortem, lapsique hominis instaurationem, ac perditam recuperationem: paucissimis sed valde clare hoc tertio libro tradit: multa docens de virtutibus tum theologicis tribus, tum quatuor moralibus principalibus: item septem donis Spiritus sancti, quæ in Christi cumulate fuerunt, et in nobis Christi beneficio ac munere, ut Christi mors nobis salutaris et fructuosa sit, inesse debent. Quibus brevem decalogi enarrationem cum disputatione de mendacio ac perjurio sub libri finem adnectit.*

DIST. I. De verbo incarnato. — Superius de hominis lapsu dictum est, nunc de ejus restauratione videamus.

Cum venit ergo plenitudo temporis, missus est Filius Dei in mundum, hoc est, in forma hominis mundo visibiliter apparuit (*Gal. iv; Phil. ii.*)

Cur Filius carnem assumpsit, non Pater vel Spiritus sanctus. — Non autem missus est Pater vel Spiritus sanctus, sed Filius tantum, ut esset Filius hominis: ne Filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna nativitate Filius, et ita essent duo in Trinitate filii. Missus est ergo Filius per assumptionem carnis, quam tota Trinitas operata est, non tamen Pater vel Spiritus sanctus carnem assumpsit. Sicut tota Trinitas descendit in specie columbæ super Jesum, et vocem illam: *Hic est Filius meus dilectus*, etc., operata est (*Matth. iii*): solus tamen Pater illud dixit, et solus Spiritus sanctus super Jesum descendit (*ibid.*).

DIST. II. Cur Filius humanitatem assumpsit, et quid nomine humanitatis intelligatur. — Assumpsit ergo Filius humanitatem, quo nomine animam et carnem intelligo. Ut enim Hieron. ait (345): *Confitemur in Christo duas integras substantias, scilicet deitatis et humanitatis, quæ ex anima et corpore continetur. Hanc ergo totam cum suis proprietatibus assumpsit. Unde Joannes Damascenus (346): Omnia quæ in nostra natura plantavit Deus, Verbum assumpsit, nimirum corpus et animam rationalem atque intellectivam, et eorum*

idiomata, hoc est, proprietates. Totum enim totum assumpsit me, et totus toti unitus est, ut toti salutem largiretur. Quod enim inassumptibile est ipsum incurabile est.

Quod Verbum simul assumpsit carnem et animam. — Porro in ipso conceptionis momento carnem et animam, ut statim perfectus esset homo, suscepit, Unde Gregorius (347): *Angelo annuntiante et Spiritu sancto adveniente, mox in utero, Verbum caro factum est. Et Joannes Damascenus (348): Simul caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalisque et intellectiva, Nec repugnat quod Augustinus ait super locum illum (349): Quadraginta et sex annis ædificatum est hoc templum: hic, inquit, numerus perfectioni Domini corporis convenit (Joan. ii). Non enim ita dixit hoc, quasi post tot dies ad similitudinem aliorum conceptum, animata fuit caro concepta, sed cum ab ipso initio animata fuisset, ut dictum est, intra tot dies notabiliter per membra distincta est.*

DIST. III. De Christi conceptione. Christi autem caro non fuit peccatrix in Christo, hoc est, alicui peccato obligata, quia ex carnis delectatione nata non est, nec postea peccavit,

Fuit vero peccatrix in matre, sed superveniente Spiritu sancto, tota mundata est (350). Quinimo, ut ait Augustinus, ipsi matri ex tunc collatum est, sic devincere peccatum, ut ei spli inter omnes sanctos non conveniat illud: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus (I Joan. i).* Fuit

(345) In expositione fidei catholicæ.

(346) Lib. iii De orth. fide, c. 6.

(347) In Moralibus, l. xviii, c. 27.

C (348) Lib. iii De fide orthodoxa, c. 2.

(349) In epistola ad Hieron.

(350) Aug. Lib. de natura et gratia, c. 30.

autem caro Christi peccatrici similis, quia esuriit, sitiit et cæteris defectibus subjecta est.

DIST. IV. *Quomodo Christi incarnatio tribuatur Spiritui sancto.* — Opus incarnationis autem specialiter Spiritui sancto attribuitur, ut in symbolo: *Et incarnatus est de Spiritu sancto.* Et in Evangelio: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto (Matth. 1)*: quod non ideo fit, quasi Spiritus sanctus fuerit virgini pro semine, sed quia per operationem Spiritus sancti de carne virginis sumptum est, quod Verbo est unitum. Quod enim ex aliquo est, aut ex substantia ejus est, ut Filius ex substantia Patris: aut ex potestate, sicut ex Deo sunt omnia: quomodo auctor incarnationis dicitur Spiritus sanctus. Et cum hoc Patri etiam conveniat, Spiritui tamen qui benignitas dicitur, attribuitur, ideo, quia ex ipse benignitatis opus existit.

Quomodo Christus dicatur conceptus et natus de Spiritu sancto. — Nec etiam jure infertur quod Filius sit Spiritus sancti, quia ex eo natus est. Neo enim omne quod de aliquo nascitur, Filius ejus est, ut christianus ex aqua: nec quidquid Filius alicujus est, ex ipso nascitur, ut adoptionis filius.

DIST. V. *Quis assumpsit et quid assumptum fuerit. Quod persona naturam assumpsit.* — Denique sciendum quod et persona et natura assumpsit naturam, sed neque persona personam, neque natura personam assumpsit. Ait enim Aug. De fide ad Petrum (cap. 2). Unigenitus Deus in unitate personæ humanam naturam suscepit. Item: Unigenitus Dei Filius susceptione carnis et animæ rationalis, incarnatus est. Ecce persona naturam assumpsit.

Quod natura naturam assumpsit. — Quod autem natura naturam assumpsit, sic ait Aug. (*ibid.*). Illa natura quæ semper genita manet ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit. Item: Unigenitus Filius Patris in forma servi et Dei, idem ipse est, quia forma Dei formam servi accepit. Forma autem natura est. Ait enim Hilarius (350*); Esse in forma Dei, non alia intelligentia est, quam in Dei manere natura. Ecce natura assumpsit naturam.

Quod si alibi dicitur formam servi a solo Filio, esse susceptam, sciendum est, quod ibi non natura, sed alia persona excluditur. Cæterum in concilio Toletano videtur reperiri contrarium. Ait enim: Solus Filius accepit hominem in singularitate personæ, non in unitate naturæ divinæ. Sed hoc qualiter intelligatur, subinde in eodem exponitur sic, hoc est, quod est proprium Filii, non quod est commune Trinitati, id est propria persona Filii hominem suscepit, non communiter tres personæ. Quod alicui poterat videri, quia supra dixerat, totam Trinitatem formationem suscepti hominis fecisse. Natura ergo divina carnem suscepit, unde et incarnata dicitur. Ait enim Joan. Damascenus (351): Deitatem dicimus unitam carni, et unam naturam Dei Verbi incarnatam consistemur.

(350*) Lib. XII De Trin.

(351) *Orthod. fidei lib. III, cap. 6.*

Quod natura Dei non dicitur esse facta caro. — Non tamen dicitur, quod natura divina facta est caro, sicut Verbum; quia nec auctoritas hoc habet, nec locutionis usus hoc admittit. Ideo forsitan, ne convertibilitas naturæ in naturam per hoc signaretur.

Quod persona non fuit assumpta. — Persona autem nunquam assumpta fuit, quia non erat ex carne illa et anima, ulla persona conjuncta, quam Verbum acciperet. Denique nec jure dicitur quod persona sit assumpta, quia anima assumpta est. Anima enim non est individua naturæ, vel persona quoad alii rei unita est personaliter, sed tantum quando per se est. Si autem alicubi dicitur homo Christus Jesus, vel ille homo a Verbo Dei esse assumptus, velut in Psalmo dicitur: *Beatus quem elegisti et assumpsisti (Psal. LXXIV)*, ita determina: Hoc de natura verum est hominis, de persona autem falsum.

DIST. VI. *Quis sit sensus istius, Deus est homo.* — Ut autem facilius cognoscatur, quid istis propositionibus dicitur: Deus est homo, et homo est Deus, et similibus, breviter prædicendum est, quod ex illis, quæ Filius Dei suscepit, scilicet anima et carne, nulla persona hominis composita est. Tunc enim demum ex duobus his persona componitur, cum principaliter in eo quod persona non est, conveniunt, ut in cæteris hominibus a Christo contingit: quod si in ea, quæ jam persona est, ut in Christo fuit, conveniunt, personam non utique faciunt, sed tantum habentur ab ea, veluti paries, testum, et fundamentum, si factæ jam domui adhibeantur, non domum faciunt, sed ab ea cui addita sunt, habentur tantum. Sicut etiam baptismus, semel baptizatum non mundat: et consecratio, ordinatio, dedicatio, ea quæ jam illis participant, secundo adhibita non augent, hoc est nihil conferunt aut mutant, sed tantum adhibentur. Sic igitur anima et caro adhibita sunt Filio Dei, velut indumentum membris. Est enim Filius Dei factus homo, non ita essentialiter et vere factus homo, ut tu qui es ipsa composita essentia animæ tuæ et corporis, sed essentialiter et vere factus est homo secundum habitum. Unde Aug. (353): Deus Filius pro nobis factus est verus homo, quia veram habet humanam naturam. Hoc autem tractat Aug. super illum locum: *Habitu inventus est ut homo (Philipp. II)*.

Quatuor species habitus. — Dicit enim quatuor modis aliqua accedere ad aliquid, ut habeantur ab eo. Accedit enim alicui aliquid, vel ita quod mutat nec mutatur, ut sapientia stulto. Vel ita quod mutat et mutatur, ut cibus stomacho: vel ita, quod nec mutat nec mutatur, ut annulus digito: vel ita quod non mutat, sed mutatur, ut vestis corpori, quod genus congruit huic comparationi. Deus enim *Filius semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (Philipp. II)*, non suam mutans, et sic in similitudinem hominis factus est, verum hominem susci-

(352) De fide ad Pet.

piendo, *et habitu inventus est ut homo*, hoc est habendo hominem inventus est ut homo. Sic autem dicit, *ut homo*, non *homo*. Sicut caro illa dicitur non peccati, sed similis carni peccatrici (*Rom. viii*). Cum ergo dicitur, Deus est homo, habitus prædicatur, ut sit sensus, Deus habet hominem, vel est habens hominem: vel etiam persona humanata prædicatur. Quod Cassiodorus innuit dicens (353): Factus est Filius Dei, ut ita dixerim, humanatus Deus. Cum autem dicitur, homo est Deus, habitus subjicitur, et natura vel persona prædicatur, ut sit sensus. Homo est Deus, id est habens hominem est Deus. Si autem factus in propositione ponitur, ut Deus factus est homo, ita intellige, hoc est, Deus cœpit habere hominem, vel humanatus Deus esse. Item homo factus est Deus, id est, tertia illa persona cœpit cum homine esse Deus.

DIST. VII. *De prædestinatione Christi*. — Secundum hoc igitur, facile est intelligere illud: Qui *prædestinatus est Filius Dei in virtute* (*Rom. i*). Filius enim Dei prædestinatus est, hoc est, gratia ei præparatum est, non ut sit Filius Dei, sed ut cum homine sit Filius Dei, ut ita gratia ei attribuitur secundum naturam personæ, velut si dicamus: Huic advocato gratia fit, non ut coram iudice loquatur, sed ut sedens loquatur: ut gratia ei fiat, non secundum locutionem, sed secundum sessionem. Sic Christo gratia facta est, non secundum filiationem, sed secundum hoc quod cum humanitate dicitur Filius. Sic et August. dicit: Nomen quod est super omne nomen, donatum est ei, secundum formam servi, id est ut cum forma servi diceretur unigenitus Filius Dei. Sic igitur persona illa dicitur prædestinata, vel etiam natura ejus humana prædestinata dicitur, ut personaliter verbo Patris uniretur, et tunc sic exponitur illud. Qui prædestinatus, hoc est, cujus natura prædestinata est. Similiter secundum hoc intellige illud August.: Tanta scilicet est unio utriusque naturæ, ut totum dicatur Deus, totum homo, id est ut illa persona cum hoc toto, divinitate scilicet, anima et carne, eorumque proprietatibus sit Deus et homo.

DIST. VIII. *Quod Christus non est aliquid secundum quod homo. Multiplex denotatio dictionis secundum*. — Sciendum est autem quod Filius Dei, ex eo quod hominem suscepit, non est factus aliquid, hoc est, persona vel natura, quia nec quaternitas in Trinitate est, nec duæ naturæ Christus est, cum tamen scriptum sit: In duabus et ex duabus naturis vel substantiis subsistit Christus, non dicitur: quod duæ sit, sed factus est alicujus naturæ, cujus non erat prius. Secundum quod debet intelligi illud Origenis: Factus est sine dubio illud, quod prius non erat, hoc est, ejus naturæ (354), Item illud: Alius est Dei

A Filius, alius est hominis filius, id est alterius et alterius naturæ, secundum quod de Deo vel de homine natus est (355). Sic omnia quæ in hunc modum dicuntur intellige Non igitur Filius est aliquid secundum quod homo, nisi (secundum) unitatem personæ notet. Hæc enim dictio (secundum) hoc in sacramento, aliquando personam notat. Ut secundum quod homo, hoc est, is qui homo est, dedit dona hominibus. Aliquando vero naturam ut secundum quod homo, passus est, id est humanitas ipsa. Aliquando vero notat statum vel habitum, ut secundum quod homo, prædestinatus est, vel donatum est ei nomen sicut prædictum est.

DIST. IX. *De adoratione humanitatis Christi*. — Cum autem humanitas in unam personam sit assumpta a Verbo Dei, simul adoranda est cum Verbo. Unde Joannes Damascenus (356). Christum adoramus cum Patre et Spiritu una adoratione cum incontaminata carne ejus. Et Augustinus (357): Ideo humanitatem in Christo adoro, quia deitati unita est. Denique si hominem a Deo separaveris, illi nunquam credo, nec servio: velut si quis purpuram vel diadema regale sine rege inveniat, non adorat: cum rege autem adorat.

DIST. X et XI. (*) *Utrum Christus sit creatura vel factus*. — Licet autem homo sit Christus, non tamen simpliciter dici debet creatura, vel factus. Non enim est ille factus, ut Aug. ait (358), per quem facta sunt omnia. Nec creatura est, quia per hoc seque-retur, quod non esset Deus. Deum enim et creaturam immediate esse circa substantiam, innuit Augustinus dicens (359): Omnis substantia quæ Deus non est, creatura est; et quæ creatura non est, Deus est. Item: Si Verbum creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est. Ex quo juste inferitur: Si creatura est, Deus non est, et si Deus est, creatura non est; et: Si ejusdem substantiæ cum Patre est, creatura non est. Non ergo simpliciter dicimus, quod factus sit, sed secundum quid, hoc est, secundum hominem. Unde Ambrosius (360): Factum ex muliere (dixit Apostolus) Filium Dei, ut factura non divinitati, sed assumptioni corporis ascribatur (*Galat. iv*): distinctione enim opus esse, cum de Christo loquitur, ait August. ita (361): Cum de Christo loquimur, quid, et secundum quid, et de quo et propter quid dicatur, diligens et pius lector intelligat. Hoc itaque attendens dicit: Christus secundum quod Deus, semper fuit, secundum vero quod homo, esse incepit.

DIST. XII. *An Christus peccare potuit*. — Quæritur autem an Christus peccare potuerit? Quod videtur ideo, quia posse peccare, ut supra probavimus, bonum naturæ nostræ est, quam totam præter peccatum suscepit, ut totam curaret. Sed si hoc

(353) In glossa ad Rom. i.

(354) Origenes super Epistolam ad Rom.

(355) Aug. ad Felicianum.

(356) Lib. iii De orthod. fide, c. 8.

(357) Ex sermone Domini, *Non turbetur*.

(*) Dist. x in viii continetur.

(358) Lib. i De Trinit.

(359) Lib. i De Trin., cap. 6.

(360) Lib. ii De Trinit.

(361) Lib. i De Trinit., c. 13.

est, videtur quod potuit non esse Deus, quia esse Deum, et posse peccare, non conveniunt : ad quod dicimus secundum prædictam disjunctionem, quia potuit peccare Christus secundum quod homo, nec hoc simpliciter dicimus, sed adjicimus naturaliter. Sic enim ab ipsa conceptione homo assumptus, gratia (quam ad mensuram non accepit) confirmatus est, ut peccare non posset : naturaliter tamen posset.

An angelus peccare possit. — Quod etiam de angelo, qui minorem gratiam confirmationis accepit, dicimus ut simpliciter peccare non possit : naturaliter autem possit. Multo ergo minus Dominus angelorum peccare potuit, qui in ipso utero perfectus vir exstitit non solum propter animam et carnem, sed etiam propter sapientiam et gratiam.

DIST. XIII. Quatiter Christus sapientia profecit. — Ad hoc autem contrarium videtur, quod in Evangelio legitur. *Jesus, inquit, proficiebat ætate et sapientia, ei gratia apud Deum et homines* (Luc. II.) Sed secundum prædicta, etiam hoc intelligimus. Dicit enim Gregorius (362) : Juxta hominis naturam proficiebat ætate, de infantia ad juventutem. Juxta eandem etiam proficiebat et sapientia et gratia : non quod sapientior esset, vel magis gratia plenus per accessum temporis, sed quia eandem qua plenus erat a prima conceptionis hora, paulatim plenus ex tempore cæteris demonstrabat. Proficiebat ergo, hoc est, proficere faciebat, sicut magister in discipulis suis proficere dicitur. Quod autem Ambros. dicit (363) : Sensu hominis profecit, sicut sensu hominis esurivit. Intelligendum est ita dictum esse, ut quantum ad visum hominum, humanus Christi sensus profecisse dicitur. Secundum hoc etiam, patrem et matrem dicitur in infantia a propheta ignorasse, quia sic habebat se tunc et gerbat, quasi esset expers cognitionis (Isa. VIII).

DIST. XIV. Quod anima Christi scit omnia quæ Deus. — Ad hæc sciendum est animam Christi omnium rerum habere scientiam, quas Christus scit, quia spiritus scientiæ non est datus ei ad mensuram (Joan. III). Si enim quædam sciret, quædam non, non sine mensura scientiam haberet. Hoc autem Fulgentius probat auctoritate illa (364) : In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (Col. II.) Ratione constat, quia nihil scit aliquis quod ejus anima ignorat.

Sed contrarium videtur, quod dicitur : In nullo creatura æquatur Creatori ; et Propheta : *Mirabilis facta est scientia tua* (Psal. CXXXVIII). Quod exponens Cassiodorus dicit : Homo assumptus, divinæ substantiæ non potest æquari in scientia vel in alio. Sed intelligendum est, per omnia, vel perfecte.

(362) In glossa citatur nomine Gregorii, sed est Bedæ homilia 11 super Lucam.

(363) Lib. De incarnationis Dominicæ sacra. cap. 7.

(364) In quodam serm.

(365) Alias Bedæ hom. 23 super Lucam. In glossa

A Licet enim omnia sciat anima Christi, quæ Deus non tamen omnia ita clare ac perspicue capit, sicut ipse. Vel in nullo creatura Creatori cœquatur, hoc est, nihil est quod Creatori creaturam adæquet. Sed nec illud contrarium est. *Nemo enim novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei* (I Cor. II), qui solus scrutatur omnia, scilicet per se, quia et aliis scrutari dat. Unde et ibidem subditur : Nos autem Spiritum Dei habemus, quasi diceret, per quem profunda Dei scimus. Multo magis ergo anima illa omnia profunda scivit, quæ præ omnibus Spiritum Dei habuit.

Quod Christus non habuit omnem potentiam Dei. — Non autem habuit potentiam omnem, ne per hoc omnipotens esset, et ita Deus pntaretur. Sed videtur contrarium, quod super illum locum : Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur (Luc. I), Ambros. dicit (365) : Non ideo, inquit, erit magnus quod ante partum virginis magnus non fuerit, sed quia potentiam, quam Filius Dei naturaliter habet, homo erat, ex tempore accepturus. Quod cum dici de persona non videatur, nec caro posset accipere, restat de anima intelligere. Sed de persona tantum dicit, quæ potentiam quam ab æterno habuit, cum homine per gratiam habere cœpit, sicut supra de prædestinatione diximus.

DIST. XV. Quod defectus nostros Christus suscepit. — Illud quoque addimus, quod nostros defectus suscepit, velut esuriem, sitim, tristitiam, et timorem, cæterosque generales, quorum nullus peccatum fuit. Quod propter fomitem dicimus. Non tamen omnes suscepit, ut ait Leo papa, sed eos tantum, quos pro nobis sumere oportuit, nec dedecuit. Non enim sumpsit ignorantiam invincibilem, et difficultatem ad bonum, quam, ut Aug. ait (366), omnis homo patitur ab exordio suæ nativitatis. Hæc etiam ideo non accepit, quia contraria sunt ei, quod de primo statu hominis habuit.

DIST. XVI. An in Christo fuerit necessitas patiendi et moriendi. — Quatuor enim status hominis sunt, de quibus singulis Christus aliquid accepit. Primus ante peccatum, de quo immunitatem a peccato accepit. Secundus post peccatum, ante gratiam, de quo pœnam. Tertius qui fuit sub gratia, gratiæ plenitudinem. De quarto qui erit in gloria, non posse peccare accepit. Hos autem defectus sicut ipsam carnem ac mortem non conditionis necessitate, hoc est, non ex vitiosa lege nascendi, quæ est necessitas nostræ conditionis, sed miserationis voluntate suscepit. Secundum hoc ergo intellige quod Aug. ait (367) : Non vere timebat Dominus pati, quia non veram causam timoris habuit. Unde Hilar. (368) : Habuit Christus ad pa-

tamen citatur sub nomine Amb. et Bedæ.

(366) Lib. III De libero arb., cap. 18.

(367) Super illud psal. XXI : *Clamabo et non exaudies.*

(368) Lib. X De Trin., ante me.

tiendum corpus, sed non naturam ad dolendum, vel non vere timuit, hoc est, non ita ut timor animæ suæ dominaretur dimovens eum a rectitudine : fuit enim in eo propassio, non passio, ut ait Hier. (369) ; vere timuit, id est vero timore, non ficto.

Christus necessitatem moriendi habuit. Habuit etiam necessitatem moriendi ; ut enim statutum est omnibus hominibus semel mori, ita etiam Christus, eadem necessitate et jure naturæ, semel oblatu est.

Dist. XVII. An Christi voluntas semper impleta sit. — Cæterum sciendum est quod Christus sicut duas habuit naturas, ita et duas voluntates. Unde Aug. (370) : Christus in passione duas expressit in se voluntates, secundum duas naturas. Ait enim : *Pater si fieri potest, transeat a me calix iste* (Matth. xxvi). Ecce voluntas hominis quam ad divinam mox dirigens ait : *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (ibid.). Petiit ergo transitum calicis, sed non obtinuit, cui videtur contrarium illud Psal : *Impleat Dominus omnes petitiones tuas* (Psal. xix).

Voluntas hominis Christi duplex est. — Sed voluntas hominis Christi distinguenda est, secundum affectum sensualitatis, quo voluit non mori ; et secundum affectum rationis, quo omnino voluit mori secundum quem loquitur spiritu suo. Nec concupivit in hoc caro Christi adversus spiritum quia secundum voluntatem Dei et spiritus sui, hoc petiit. Non quidem ut quod petebat obtineret, sed ut veritatem humanitatis suæ exprimeret. Et etiam illud petiit, ut membris suis in tribulatione positus, formam ad Deum clamandi, et divinæ voluntati propriam subjiciendi, daret : utrumque ergo quod voluit, bonum fuit, sed illud melius, quod effectui mancipavit.

Hilarii sententia a superioribus diversa. — Hilarius (371) autem intelligit per calicem, mortis terrorem, cui omnis caro præter eam quæ Christi est, subdita erat necessitate conditionis qui post mortem Christi demum per virtutum gloriam tollendus erat. Ad hoc respiciens, dicit Christum non sibi, sed suis orasse et timuisse. Ipse enim, ut supra probatum est, non sicut cæteri timuerunt, timuit. Inde igitur est quod non dixit : *Tristis est anima mea propter mortem, sed usque ad mortem* (Matth. xxvi), postquam apostolicæ infirmitatis scandala desitura videbat.

Dist. XVIII. De merito Christi et quid sibi meruerit. — Postquam mortem, etiam et per quam, sibi claritatem et impassibilitatem meruit. Unde Aug. (371*) : Ut Christus resurrectione clarificaretur, prius humiliatus est passioné, humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. Claritatem autem dicit, manifestationem

(369) Super Matth. cap. 26.

(370) Super psal. xxxiii.

(371) Lib. x De Trin.

donati nominis quod est super omne nomen (Psal. ii). Nec enim tunc primum illud ei nomen donabatur. Tunc tamen ei donatum esse dicitur, illo utique tropo, quo dicitur res fieri, quando innotescit quod facta sit. Impassibilitatem quoque animæ et carnis per eandem mortem meruit, quam tunc nihilominus ex quo homo fuit, per charitatem et cæteras virtutes meruerat. Non enim habuit Christus quo posset proficere secundum animæ meritum, id est secundum virtutem moriti. Licet quantum ad numerum meritorum corporis, hoc est operum, profecisset.

An Christus post mortem beatior fuerit. — Si autem quæretur num anima ejus fuerit post mortem beatior quam ante ? dicimus quod beatior fuit, quantum ad miseræ immunitatem, non quantum ad Dei contemplationem.

Dist. XIX. De modo nostræ redemptionis, et quid Christus meruerit nobis. — Quod si præcedentia merita ad hæc sufficiebant, ad quid ergo voluit mori ? Pro te scilicet, non pro se, ut te in humilitate instrueret, et sic in paradysum induceret. Meruit enim nobis per mortem aditum paradysi, quem per præcedentia sibi meruerat, et redemptionem a peccato, et pœna, et diabolo. Nam cum per hostiam reconciliaturus esset sibi Deus mundum, nulla alia reconciliare suffecit, eum omnes peccassent. Decreverat autem Deus, ut ait Ambrosius (372), neminem in paradysum, hoc est, ad Dei contemplationem admitti, nec alicujus hominis humilitas tantam posset proficere, quantum primi hominis potuit nocere superbia. Talis ergo nemo inventus est, nisi leo de tribu Juda, qui moriens liberavit nos a peccato et diabolo ; dum per eam mortem *charitas excitatur in cordibus nostris* (Rom. v). Intendentes enim in eum quasi in serpentem æneum (Num. xxi), et videntes quanta charitate nos dilexerit, ut pro nobis scilicet moreretur, monemur accendimurque ad diligendum eum, qui pro nobis tanta fecit, et sic soluti a peccato et diabolo justificamur. Denique peccata nostra portans super lignum, id est pœnam peccatorum, redemit nos a pœna æterna, relaxando debitum a temporali pœna, spe, non adhuc re ; a qua nos penitus liberabit, quando novissima destruetur mors. Et ita redemptor noster factus est proprie Christus, exhibitione humilitatis ; communiter vero tota Trinitas dicitur redemptor, effecta potestatis,

Christus solus est mediator. — Solus tamen Christus mediator est inter mortales peccatores et immortalem justum (I Tim. ii). Solus enim ipse est Deus homo, mediator factus, secundum quod homo, per infirmitatem appropinquans nobis, Deo vero per justitiam. Sane secundum quod Verbum est, non est medius, sed unus cum Patre Deus.

Dist. XX. — Quod Deus aliter nos liberare potuerit.

(371*) Super illa verba Christus factus est pro nobis obediens.

(372) Super Epistolam ad Heb.

Quare potius isto modo voluit Christus liberare nos. — Fuit sane, et alius modus nostræ liberationis Deo possibilis, sed nullus nostræ miseriæ sanandæ convenientior. Hic enim modus a morte desperationis nos maxime liberat, et mentes nostras ad superna erigit, cum videmus eum tanti nos fecisse, ut mala nostra ipse immutabiliter bonis, moriendo præferret. Et ideo quoque, quia sic justitia superatur diabolus, non potentia. Potentia enim liberare potuit servum suum, quem diabolus fraudulenter abduxit, et violenter tenuit, quod tamen noluit, ne homo violenter ab eo tolli videretur. Humiliatus autem per mortem juste hoc fecit. Est enim justum ut debitores quos tenebat liberi dimittantur, credentes in eum, quem sine debito ullo occidit.

Mors Christi facta est a Trinitate, Juda, diabolo et Judæis. An Judæi operati sint bonum. — Denique sciendum est mortem Christi opus fuisse Trinitatis, et Judæ, et diaboli, et Judæorum. Trinitatis, quia Deo auctore, hoc est volente, facta est (Rom. viii); Judæ, quia prodidit (Matth. xxvi); Judæorum et diaboli, quia suggererunt, et sic res una, id est mors Christi ab omnibus istis peracta est; facta vero diversa fuerunt, ex quibus ea res provenit, scilicet Patris traditio, Filii spontanea occursio, Judæ proditio, Judæorum et diaboli suggestio. Judæi ergo bonum fecerunt quantum ad peractum, hoc est effectum, malum vero quantum ad actum.

Dist. XXI. An Verbum ex quo fuit homo, unquam desierit esse homo. — Firmiter autem tenendum est quod Verbum, ut supra dictum est, verus homo est, quia habet animam et carnem in unione personæ. Vivens autem homo est, quia duo illa conjuncta habet. Nunquam igitur desit esse homo, ex quo fuit homo, quia nunquam desit habere illa. Unde Augustinus (373): Verbum ex quo suscepit hominem, hoc est carnem et animam, nunquam deposuit animam, ut esset anima a Verbo separata. De carne quoque dicit: Sic et in sepulchro Christus carnem suam commoriendo non deseruit, sicut in utero virginis connascendo formavit. Non ergo separata est divinitas ab homine, sed hoc intellige quantum ad unionem personæ, non quantum ad defensionem naturæ, secundum quam separata est. Unde ait Ambrosius (374): Clamat homo mortuus separatione divinitatis, scilicet quoad defensionem. Separavit se divinitas subtrahendo potentiam, sicut hic intelligitur (Matth. xxvi): *Ut quid dereliquisti me?* Sed non solvit unionem. Se foris separavit a defensione, sed intus adhaesit ad unionem. Quod autem Athanasius sub anathemate ait totum hominem in resurrectione denuo assumptum: intellige, non quantum ad habendum, sed quantum ad iterum illa duo conjungendum, ut scilicet ex anima caro viveret quæ proprie mortua est in qua,

(373) Super illud Joan. x: *Ego ponam animam meam.*

(374) In expositione xxi psal., *Deus, Deus meus.*

non in se, Christus mortuus esse dicitur. Unde Augustinus (374): Absit ut sic Christus senserit mortem, ut quantum in se est, vita vitam perdidit.

Dist. XXII. Qua ratione dicatur passus Deus. — Sane quidquid passa est caro, non potest dici non passus Deus. Quomodo non potes dicere, te non passum injuriam, si vestis tua perfunditur, vel conscinditur, quamvis illa non sit tu. Multo magis ergo quidquid patitur caro unita Verbo, debet dici Deus pati, licet Verbum, nec mori, nec pati potuerit.

De hoc ergo ait Ambrosius (375): Idem moriebatur et non moriebatur; resurgebat et non resurgebat: resurgebat secundum carnem, non resurgebat secundum Verbum.

Dist. XXIII. An Christus fidem et spem habuerit, quemadmodum charitatem. — Cum vero Christus plenus gratia fuerit: quaeritur an habuerit fidem et spem? Quod ut melius explicetur, primum videamus quid sit fides et spes (376). Est igitur fides, credere quod non vides; Apostolus enim ait: *Fides est substantia sperandarum rerum a nobis, argumentum vel convictio non apparentium (Hebr. xxi).* Per fidem enim subsistunt speranda modo in nobis, et subsistent in futuro per experientiam.

Dist. XXIV. De fide antiquorum. — De quibus si dubitatur, probantur per fidem, hoc modo, quia ita crediderunt patriarchæ, et alii sancti: proprie igitur est fides de non apparentibus. De apparentibus enim non est fides, sed agnitio. Quæ fides, una dicitur esse ab Apostolo similitudine, non singularitate. Sicut idem volentium dicitur una voluntas, et duorum simillimorum dicitur una facies. Igitur nostra et antiquorum una est fides. Modus autem credendi diversus. Unde Augustinus (377): Eadem fides Mediatoris quæ nos salvat, salvos faciebat antiquos. Quia sicut credimus Christum in carne venisse, ita illi venturum; sicut nos mortuum, ita illi moriturum; sicut nos resurrexisse, ita illi resurrecturum, et ad judicium venturum.

De fide majorum et simplicium. — Hæc tamen distincte revelata sunt majoribus. Simplicibus vero revelata sunt in mysterio. Unde Job: *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos (Job i),* quia simplices majoribus adhaerebant credentes in mysterio, quod illi in mysterio docebant.

Dist. XXV. De spe. Differentia inter fidem et spem. — Denique spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia Dei et meritis præcedentibus rem speratam, scilicet vitam æternam. Et de his quæ non videntur, sicut fides. Differt autem spes a fide, quia spes est bonarum rerum, et futurarum, et pertinentium ad eum tantum, qui earum spem gerere perhibetur. Fides vero bonarum rerum est et martirum, et præsentium et præter-

(374) Contra Felicianum.

(375) Lib. iii De Spiritu sancto.

(376) Aug. super Joan.

(377) Lib. De nuptiis et concupiscentia, cap. 2.

itarum et futurarum, et pertinentium ad eum qui eam fidem habet, et alienarum : ita tamen si eas credere pertinet ad religionem. Hæc autem in nobis proficiunt, usque dum perfecte cognoscamus. Ait enim Aug. : Non cognoscimus ut credamus, sed credimus ut cognoscamus.

Secundum hoc ergo, fidem et spem Christus non habuit, quia æque cognovit præterita et futura sicut et præsentia.

Unde sancti non dicuntur modo credere, vel sperare futuram resurrectionem, quia eam perfectissime in Verbo Dei intelligunt.

- DIST. XXVI. *Quod sancti non dicantur modo credere vel sperare.* — Legitur tamen quod crediderit et speraverit Christus. Dicit enim per prophetam : *Ego ero fidens in eum (Hebr. 11)*. Et Psal. : *In te, Domine, speravi (Psal. xxx)*. Quod est intelligendum quantum ad exteriorum effectum, non quantum ad interiorum actum. Sic enim orabat, et cætera agebat, sicut facit qui nondum videns credit et sperat. Non tamen sperando vel credendo a plena cognitione remorabatur. Denique secundum hoc dicit ad Patrem : *Disciplina tua ipsa me docebit (Psal. xvii)*, effectum scilicet exteriori, quo formam bene correcti exhibuit, non actu interiori, quia nunquam se de pravis ad recta reformavit.

DIST. XXVII. *De charitate Christi. Duo præcepta charitatis.* — Habuit charitatem Christus, quam passionis exhibuit opere, de qua breviter dicamus: Charitas ergo est dilectio, qua Deus propter se, et proximus propter Deum diligitur. Hujus primum et proximum mandatum est : *Diliges Deum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua (Deut. vi ; Matth. xxii)*, hoc est, ut omnes cogitationes tuas, omnem vitam, et intellectum in illum conferas, quod non hic sed in futuro implebitur. Hoc tamen dictum est, ut quo currendum sit, non ignoretur. Secundum vero : *Diliges proximum tuum sicut teipsum (Joan. xiii)*, id est ad quod, et propter quod teipsum diligis. Proximum vero omnem hominem intellige, qui tribus modis dicitur : conditione, propinquitate fidei, et impensa beneficii.

DIST. XXVIII et XXIX. *Angeli præcepto charitatis obligantur.* — Unde et angeli illo præcepto continentur. Dicit enim Aug. (378) : Manifestum est præcepto dilectionis proximi, etiam sanctos angelos contineri, a quibus nobis misericordiæ impenduntur officia.

Quatuor sunt genera diligendorum. — Denique omne genus diligendorum prædictis mandatis comprehenditur, quæ quatuor sunt, ut Aug. ait (379) : Unum quod supra nos est, scilicet Deus : alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos

est, scilicet proximus ; quartum, quod infra nos est, scilicet corpus nostrum, et proximi. Quod in illis mandatis intelligitur, etsi non exprimitur. Ait enim Aug. (380) : Si te totum intelligis diligendum, hoc est animam et corpus, etiam proximum tuum, id est animam et corpus ejus diligere debes.

Quod una charitate Deum et proximum diligamus. — Licet autem tot sint, quæ diligamus, tamen una sola charitate diligimus. Ait enim Aug. (381) : Una est charitas, et duo sunt præcepta. Non enim alia charitas diligit proximum, nisi quæ et Deum. Inde ordinata debet esse charitas, et in affectu interiori, et in effectu exteriori. De ordine autem affectus dicit Aug. (382) : Qui ordinatam vult habere dilectionem videat, ne aut diligit quod non est diligendum, aut non diligit quod est diligendum ; aut æque diligit quod plus minusve est diligendum, vel plus minusve diligit quod æque est diligendum.

Ordo diligendorum. — Omnis homo, in quantum peccator, non est diligendus ; in quantum homo, est diligendus. Deus vero plus omni homine diligendus. Amplius autem diligendus est proximus, quam corpus nostrum, quia propter Deum ipse diligitur, qui potest Deo nobiscum perfrui : corpus autem non potest. Denique omnes proximi pari affectu, sed dispari effectu diligendi sunt. Unde Aug. (383) : Omnes homines æque diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi junguntur. Hoc quoque Ambr. distinctius dicit : (384) Primo diligendus est Deus ; secundo parentes. Inde filii, post domestici : qui si boni sunt, malis filiis præponendi sunt. Postremo inimici, quos nec ex tota virtute, nec sicut teipsum jubet Deus diligere, sed simpliciter. Sufficit enim quod diligimus et non odio habemus. Hoc autem dicit Ambrosius : Non quod eos diligere non debeamus, sicut et nos, proximi enim sunt, sed ut sic ostendatur quod sufficit, si minus eos diligamus, quam cæteros proximos, et hoc utique secundum effectum,

De gradibus charitatis. — Sciendum quoque est quod charitas non mox ut nascitur perfecta est. Ut enim perficiatur, nascitur, nata nutritur, nutrita roboratur, roborata perficitur. Perfecta vero dicit : *Cupio dissolvi (Phil. 1)*, etc.

DIST. XXX. *An melius sit diligere amicos quam inimicos, an econverso.* — Solet etiam quæri utrum sic majoris meriti diligere amicum, an inimicum? Dicimus quod ejusdem meriti est. Eadem enim charitate, ex qua meritum est, diligitur uterque. Quantum vero ad actum exteriorum, evidentius signum est perfectæ charitatis diligere inimicum quam ami-

(378) Lib. De doct. chr., cap. 30.

(379) Lib. 1 De doctrin. Christ. c. 23, 24 et 26.

(380) Lib. De doctrin. Christ.

(381) Sermone De ascens. Domini.

(382) Lib. De doctrin. Christ.

(383) Lib. De doct. Christ.

(384) Super illud Canticum 1.

cum. Unde Aug. ait (385) : Hoc tamen magnum bonum (scilicet diligere inimicum et bene facere odienti, et pro persecutore orare) tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri cum dicitur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Matth. vi).

DIST. XXXI. *An charitas semel habita amittatur.* — Hæc dicendo, perfectam charitatem ab imperfecta, eum distinxisse putemus; quæ charitas imperfecta, sæpe amittitur et recuperatur, et eam tam boni quam mali participant. Unde Ambros. (386) : Quibusdam gratia data est in usum, ut Sauli et Judæ. Frequenter enim ante sunt mali, qui sunt futuri boni; et prius sunt boni, qui sunt futuri mali. Radicata vero et perfecta charitas, nunquam desinit semel habita, nec eam participant nisi boni. Unde charitas est fons proprius et singularis bonorum, cui non communicat alienus. Secundum hoc eam, quæ multarum auctoritatum videtur esse, dissonantiam distingue.

Quomodo charitas non evacuabitur. — Charitas autem perfecta permanebit in futuro. Licet enim in futuro perficiatur, eadem tamen substantia, idemque modus permanebit, qui est ad Deum plusquam te ipsum : Ad proximum vero sicut te. Cætera vero, vel ex toto cessabunt, ut fides et spes, quod et de scientia quidam putant : vel saltem quantum ad modum, qui et omnino alius erit in futuro, quam sit in præsentia.

Quare charitas ponatur post fidem et spem. — Notandum quoque quod charitas non ideo post fidem et spem ponitur, quod ex eis oriatur, sed quia post illa remanebit aucta. Quæ tria nunc æqualia sunt, non quantum ad eorum comprehensionem, sed quantum ad actuum eorum intensionem. Etenim, si intensius credis, intensius etiam speras et diligis.

DIST. XXXII. *Quomodo Christus dilexit.* — Habuit autem Christus charitatem, non viæ, ut omnem proximum ad vitam diligeret, sed patriæ, qua tantum electos ad salutem dilexit. Reprobos etiam dilexit sicut et ab æterno dilexit eos, in quantum scilicet opus ejus erant futuri, hoc est, quos et quales erat eos factururus. Proinde electos alios plus, alios minus ab æterno dilexit, non secundum dilectionis essentiam, sed secundum efficientiam, quia scilicet majora bona præparavit his, quam illis. Secundum hunc sensum dicuntur aliqui diligere incipere a Deo, tunc, cum æternæ dilectionis effectum sortiuntur.

DIST. XXXIII. *De virtutibus principalibus quas cardinales appellant.* — Post prædicta, de quatuor virtutibus principalibus videamus. Quarum prima est justitia, quæ est in subveniendo miseris, qui minus possunt contra potentiam fortiorum; secunda, prudentia in præcavendis insidiis; tertia, fortitudo

in perferendis molestiis; quarta, temperantia, in coercendis delectationibus pravis.

Quod hæc virtutes maneant in futuro. Hæc in futuro erunt, sed secundum alium usum quam hic. Unde Beda (387) : Potestates cæli quatuor prædictis virtutibus præclaræ sunt, quæ aliter servantur in cælis ab angelis et animabus sanctis, quam hic a fidelibus.

DIST. XXXIV. *De septem donis Spiritus sancti.* — Septem etiam dona virtutes sunt, et in angelis sunt, ut Ambros. ait (388) : Spiritus Dei, naturam angelorum effusione quadam sanctificationum ubertate lætificat. Deinde sanctificationes exponens, subdit : His sanctificationibus, signatur plenitudo septem spiritualium virtutum, quas enumerat Isaias (cap. ii), dicens : *Spiritus sapientiæ, etc.*

Sed contrarium videtur quod dicit Beda (389) : Qui cum de timore servili, et casto egisset, addidit : Uterque in futuro cessabit. Aug. etiam ait (390) : Timor Domini est magnum præsidium proficientibus ad salutem, pervenientibus foras mittitur. Non enim jam timent amicum, cum perducti fuerint ad id quod repromissum est.

Sed dicimus quod timor in futuro erit, non secundum usum quem modo habet, qui est metus separationis, sed secundum reverentiam, quæ est mixta cum subjectione dilectionis, secundum quam in Christo fuit. Unde Apostolus : *Qui exauditus est pro sua reverentia.* (Hebr. v).

Plena timorum distinctio. Mundanus timor. Humanus, servilis. Initialis. Castus seu filialis. — Hic sciendum quod quinque sunt timores : Mundanus qui culpa est, quo bona mundi perdere timemus; et humanus vel naturalis, qui pœna est, et in Christo fuit, quo pericula carnis horremus; et servilis, quo propter timorem gehennæ continet se homo a peccato, et bonum facit, quod utile est, per quem paulatim fit consuetudo justitiæ, et est insufficientis; et initialis, quando incipit, quod durum erat, amari, et est sufficiens. Succedit deinde castus, et amabilis dicitur, vel filialis quo separatio Sponsi timetur, et est perficiens. Qui secundum hunc ipsum permanet, usque in finem sæculi, secundum prædictum vero, hoc est, secundum reverentiam mixtam cum subjectione filiali, hic et in futuro erit (I Joan. iv). Quod autem dicitur, timor non est in charitate, de perfecta charitate, et initiali timore intelligendum est. De quo Aug. (391) : Quantum charitas crescit, tantum timor decrescit. Et quantum illa sit interior, tantum timor pellitur foras, major charitas, minor timor. Minor charitas, major timor. Sciendum vero quod ex usu Scripturæ, et servilis timor et initialis dicitur, initium sapientiæ, alia tamen et alia ratione : nam servilis initium dicitur sapientiæ, quia locum præparat charitati Dei : initialis vero, quia in inchoata charitate est.

(385) In Ench. cap. 73.

(386) Super c. 9 ad Rom.

(387) Super Exod. xxvi.

(388) Lib. i. de Spiritu sancto, c. 20 et ultimo.

(389) Super parabolas Proverb. i.

(390) Super psal. v.

(391) Super Epistolam Joan. IV, hom. 9.

Dist. XXXV. Distinctio inter scientiam, intelligentiam, sapientiam. — Denique illa tria dona, scientia, intelligentia et sapientia sic a se distinguuntur. Quia scientia valet ad rectam administrationem rerum temporalium, et bonam conversationem inter malos. Intelligentia vero ad Creatoris et creaturæ invisibilem speculationem; sapientia autem ad solius æternæ veritatis contemplationem et delectationem.

Dist. XXXVI. De virtutum connexione et æqualitate. — Hic autem sciendum quod omnes virtutes sibi invicem ita conjunctæ sint, ut habita una, omnes habeantur. Unde Hieronymus (392) : Omnes virtutes sibi hærent, ita ut qui unam habet, omnes habeat; et qui una caruerit; omnibus careat. Aug. etiam ait (393) : Virtutes quæ sunt in animo humano, quamvis alio atque alio modo singulæ intelligantur, nullo modo tamen separantur ab invicem, ut quicumque fuerint æquales, verbi gratia, in fortitudine æquales sint, et prudentia, et justitia, et temperantia. Si enim dixeris æquales esse istos in fortitudine, sed illum præstare prudentia, sequitur quod fortitudo hujus minus prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sunt, quia est illius fortitudo prudentior, atque ita de cæteris virtutibus invenies, si omnes eadem consideratione percurras. Cum enim dicitur aliquis aliqua præeminere virtute, ut Abraham fide, et Job patientia, secundum genus exteriores accipiendum est, vel in comparatione aliorum hominum, quia humilitatis habitum maxime præfert, vel opus fidei, vel alicujus cæterarum virtutum præcipue essequitur.

Dist. XXXVII. De decem mandatis Decalogi, et eorum reductione ad duo charitatis mandata. — Jam distinctio Decalogi consideranda est. Habet enim Decalogus decem præcepta. Tria in prima tabula pertinentia ad Deum. Septem quæ sunt in secunda tabula, pertinentia ad proximum. Primum in prima tabula est : *Non habebis deos alienos : Non facias tibi sculptile, nec omnia similitudinem* (Exod. xx). Sculptile est quod nihil habet simile sibi. Similitudo vero quæ habet apicem alicujus rei (I Cor. VIII).

Secundum est : *Non assumes nomen Dei tui in vanum* (Exod. xx). Quod est dicere secundum litteram : Non jurabis pro nihilo per nomen Dei. Allegorice vero præcipitur, ut non putes creaturam esse Christum Dei Filium.

Tertium est : *Memento sanctificare diem Sabbati* (Exod. xx). Quo secundum litteram, Sabbati præcipitur observantia. Allegorice vero, ut requiem et hic a vitis et in futuro in Dei contemplatione expectes. Primum quidem mandatum pertinet ad Patrem, in quo est unitas; secundum ad Filium, in quo est consubstantia; tertium ad Spiritum sanctum, in quo est utriusque communitas.

(392) Super Isai. x.

(393) Lib. vi De Trinit. cap. 4.

De septem mandatis secundæ tabulæ. — In secunda vero tabula septem sunt mandata, quorum primum ad Patrem carnalem refertur, quod est : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram* (Exod. xx), scilicet viventium. Secundum est : *Non occides* (ibid.). Ubi secundum litteram actus homicidii prohibetur. Spiritualiter vere voluntas occidendi. Tertium est : *Non mæchaberis* (ibid.), id est ne cuiquam miscearis, excepto fœdere matrimonii. A parte enim intelligitur totum. Nomine igitur mæchiæ, omnis concubitus illicitus, illorumque membrorum non legitimus usus, prohibitus debet intelligi. Quartum est : *Non furtum facies* (ibid.). Ubi sacrilegium, et rapina omnis prohibetur. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit.

An filii Israel commiserint furtum spoliando Egyptum. — Hic autem solet quæri an Israelitæ furtum fecerint, exspoliando Egyptum? (Exod. ii). Dicimus quod non, quia perfecti Deo jubenti ministerium præbuerunt. Infirmi vero magis permissi sunt hoc facere illis, qui talia jure passi sunt, quam juresi (394). Quintum est : *Contra proximum non loquaris falsum testimonium* (Exod. xx). Ubi crimen mendacii et perjurii prohibetur.

Dist. XXXVIII. De mendacio. — Est autem mendacium, ut Aug. ait (395), falsæ vocis significatio cum intentione fallendi. Mentiri vero est loqui contra hoc quod animo sentit quis. Unde si Judæus dicit Christum esse Deum, cum hoc non credat, mentitur quidem, sed mendacium non dicit.

An omne mendacium sit peccatum. — Denique omne mendacium peccatum est. Sed multum interest quo animo et de quibus rebus quis mentiat. Non enim sic peccat, qui ut consolatur mentitur, sicut qui ut noceat, nec qui de via terre, sicut qui de via vitæ mentitur.

Triplex mendacium. — Mentitur namque quis pro commode aliquando alicujus tantum, ut obstetrices et Raab (Exod. i; Jos. ii). Aliquando joco, quod perfectis non convenit; aliquando ex malignitate, quod cunctis est valde cavendum.

An Jacob se dicens Esau, sit mentitus. — Dicens denique se Jacob Esau a mendacio excusatur (Gen. xxvii) : tantum proponens obedire matri, quæ familiari consilio Dei noverat in eo factum mysterium sacramenti. Vel non fuit mentitus Jacob : erat enim ipse Esau jure, et si non persona, quia emerat ab eo primogenita.

Dist. XXXIX. De perjurio. — Perjurium est mendacium juramento firmatum. Jurare est Deo reddere jus, veritatis scilicet et non falsitatis, hoc est Deum testem adhibere, vel ei aliquid oppignorare. Ut ille facit, qui per filios suos jurat, quos oppignoravit Deo, ut hoc eis eveniat quod de ore suo procedit : Si verum, verum; si falsum, falsum.

(394) Aug. super illum locum.

(395) In Machirid. c. 18.

Quæ juramenta magis obligent. Quid perjurium. — Juratur autem per Deum, per Evangelia, per creaturas. Sed quanto magis sanctum est, per quod juratur, tanto magis est pœnale perjurium (396) Perjurium autem est, adhibita juratione mentiri quod fit, dum jurando quis loquitur, cum intentione fallendi, quam vel statim habet, vel postea, ante tempus, quo fieri debet, quod juravit. Ream enim linguam non facit, nisi rea mens.

Comites juramenti. Incauta juratio est peccatum. — Advertendum quoque est quod jusjurandum tres habet comites: veritatem, iudicium et justitiam, ut scilicet discrete quis juret, quantum ad se; utiliter quantum ad proximum, et verum sit, vel esse putet quod jurat, quantum ad Deum. Quod si ista deficient, perjurium est, hoc est incaute jusjurandum factum. Quod ideo peccatum est, quia juratio non est appetenda, sicut res bona; nec tamen fugienda est, sicut mala, cum est necessaria.

Perjurium quando dicatur. — Dicitur enim perjurium proprie, cum impleri potest juramentum, et debet secundum tenorem jurandi, sed contemnitur. Quod salubriori consilio faciendum est, quando si

A impletur juramentum, pejorem vergit in exitum. Velut cum juravit quis permanere in stupro, qui nimirum inter stuprum et prædictum perjurium perplexus est, ubi fides rescindenda est. Ait enim Isidorus: In turpi voto muta decretum: quæ incaute vovisti, ne facias.

De eo qui verborum caliditate jurat. — Proinde quacunque arte verborum juretur, Deus sic accipit, sicut ille qui jurat, et ille cui juratur, simpliciter intelligit (307).

De eo qui cogit falsum jurare. — Quod si quis sciens falsum juramentum exigit, homicida est.

DIST. XL. — *De 6 et 7 præcepto secundæ tabulæ.* — Sextum denique præceptum est: *Non desiderabis uxorem proximi tui (Exod. xx).* Septimum: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam (ibid.).*

An postrema hæc includantur prioribus. — Sed videntur hæc duo præcepta superioribus includi, quibus dictum est: *Non mæchaberis, non furaberis.* Sed illis opera prohibita sunt: his vero concupiscentia prohibetur. Prædicta igitur mandata legis, sunt decem chordæ psalterii, quæ charitate tangendæ sunt, ut feræ vitiorum occidantur.

Finis libri de Verbo incarnato et hominis reparatione, qui est Sententiarum Bandini tertius.

(396) Aug., ad Publicolam epist. 4.

(397) Aug. in serm. De perjuris.

MAGISTRI BANDINI

LIBER

DE ECCLESIASTICIS SACRAMENTIS

QUI EST SENTENTIARUM QUARTUS.

Περὶ τοῦ — *Toto propemodum hoc quarto libro, mira perspicuitate et paucis admodum, disserit Bandinus de hominis per Christi mortem instaurati confirmatione quæ in salutari usu ac dispensatione sanctorum Ecclesie sacramentorum consistit, vlm suam atque originem habentium ex Christi passione. Sub finem autem nonnulla de hominis per ecclesiastica sacramenta confirmati summa, ut sic dicam, beatificatione attingit, explicans mortuorum resurrectionem et extremum iudicium, cum pœnis impiorum et gaudiis piorum: quibus feliciter Bandinus librum suum finit, optans ut lætitiis iustorum consortes nos Dominus efficiat.*

DIST. I. *De sacramentis in genere. Quid sacramentum.* — Post tractatum rerum, quibus fruendum est et utendum, et quæ fruuntur et utuntur, ad signa tractanda accedamus, quæ sacramenta dicuntur. Sacramentum igitur est visibilis forma invisibilis gratiæ, vel sacræ rei signum. Signum autem est res quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se facit in cognitionem venire.

Quomodo differant sacramenta veteris et novæ le-

C *gis.* — Denique sacramentum ejus rei similitudinem gerit, cujus signum est: ut aqua baptismi, mundationis peccatorum. Eamvero sacramentum proprie dicitur, quod ita significat gratiam, quod et confert eam. Per quod inter vetera et nova sacramenta differentia manifeste notatur: illa enim tantum promittebant et significabant, hæc signant, et dant gratiam.

Quare instituta sunt sacramenta. — Quæ triplici